H T



John Carter Brown.

CLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO VIRO,

D. D. JOAN. BAPT.

COLBERT,

MARCHIONI DE SEIGNELAY, D'ALEGRE, BLAINVILLE, &c.

REGI AB INTIMIS CONSILIIS, SECRETIS, ET Mandatis, Regiorum Ordinum Quæſtori,

GRATULATIO

DE MULTIPLICI, EX QUO ILLE REM MARITIMAM adminiſtrat, reportata in Utroque Mari victoria, à Claſſibus LUDOVICI MAGNI.

Ex occaſione captæ nuper in America Inſulæ Tabacci, A Comite D'ESTRÉES.

LUGDUNI.

Excudebat, ROLINUS GLAIZE, Typographus.

M. DC. LXXVIII.

RPJCB

CLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO VIRO,

D. D. JOAN. BAPT.

COLBERT,

MARCHIONI DE SEIGNELAY,

D'ALEGRE, BLAINVILLE, &c.

REGI AB INTIMIS CONSILIIS, SECRETIS, ET Mandatis, Regiorum Ordinum Quæſtori,

GRATULATIO

De multiplici, ex quo ille rem maritimam adminiſtrat, reportata, in Utroque Mari, Victoria, à Claſſibus LUDOVICI MAGNI.

Ex Occaſione captæ nuper, in America, Inſulæ Tabacci, A Comite D'ESTRE'ES.

VICIMUS: Excidio Batavûm convulſa ſonanti
Claſsis, in hoſtili littore capta gemit.
Longinquæ Eſtræus ſpolio telluris onuſtus,
Noſtra docet cunctis vincere vela fretis.

Inſula Tabacco capta, unà cum hoſtium navibus deductis in portus noſtros.

Non ſemel Amſtelomos patrio ſuper æquore fudit,
Fudit & extremis térque quatérque plagis.
Exulat æternùm firmâ ſtatione, peremptus
Præfectus classis Batavæ. Binkius, hinc, Batavûm ſpes ſimul omnis abit.
Flecte triumphales è lauru flecte coronas
Gallia, quæ redeunt, has meruere, rates.
Emenſæ aſſuetas peregrinæ Tethyos undas,
Victricis repetunt præmia juſta viæ.
Hæc te cura manet, ſi quem, SENELÆE, tuâque
Unius expectant laurea ſerta manu.
Nerea tu ratibus ſternis, proriſque magiſtros,
Et claſsi armorum ſufficis omne genus.
Inſtruis & ducibus, generoſo & milite naves,
Geſtit & ad nutus currere nauta tuos.
Faverit ut noſtris conſtans victoria velis,
Ex quo, tota tibi eſt credita cura maris:
Haud opus è fidis Francorum ediſcere faſtis,
Id ſatis, haud unâ clade, loquetur Iber.
Id Batavi dicent, triſti quos funere merſos
Vidiſti Siculis ter, Palinure, vadis.

Id ſedenim veſtri non Vmbra ſilebit Achillis,
Soſpite quo, vinci neſcia claſsis erat.
Qui tremor Oceani, clades qui certa Britannis,
Qui fuit Arctoæ ſæpe tyrannus aquæ.

Ruitterus occubuit ex vulnere accepto in Navali prælio, in quo fugatus à Gallis fuerat.

Qui Patriæ tutam, quovis diſcrimine, Sacra
Præſtitit in trepidis Anchora rebus opem.
Francigenis pœnas, ſimul & ludibria ſoluit
Pro Batavis magnus Ruitterus ille ſuis.
Nec cineres habuit placida cum pace quietos,
Sed dedit & flammis, poſt ſua fata, jocos.
Ruittere, Lethæis non mitteris unus arenis,
Obtigit inferiis debita pompa tuis;
Néve tui errarent ſoli per littora manes,
Acceſſere, comes turba cremata, Duces,

Cadaver ipſius erat in una è navibus Batavis quas Galli ſuccenderunt in portu Panormitano, ubi perierunt ceteri præfecti Claſſis cùm Hiſpanæ, tum Batavæ.

Igneus ex ipſo rapuit quos littore vortex,
Attonitiſque dedit piſcibus eſſe cibos.
Qui priùs occiderat Vanguentius æquore merſus,
Prodromus hic veſtræ mortis & Augur erat.
Qui ſuperatis adhuc Evertzi & Trompe, *cavete,*
Non vulgare petunt Gallica tela caput.

Van-Ghent. Claſſis Batavorum præfectus in prælio Navali occiſus periit, anno 1672.

Ingratos ex quo ſternis, Lodoïce, *Sicambros*,
Altera nunc belli vix Trieteris abit:
Corpora plura ducum, pelago cecidiſſe queruntur,
Quàm priùs abſtulerint bellica Luſtra decem.

C'eſt un Vers de Properce à Auguſte.

Vince mari, jam terra tua eſt, tibi militat *Ignis*
Tantum ſola ſibi ne trahat Unda decus.
Unda ſinus placidos hyemali ſidere pandit,
Nec ſinit adverſos Æolus ire Notos:

Te copias, te conſilium & tuos Præbente divos. Horat. ad Auguſt. Ode XIV. Lib. IV.

Te divos præbente tuos, Rex Magne, supernè
Ad nutus agitat vis, Elementa tuos

Olla Igniaria incidit ex Gallorum ſententia in Apothecam pulveris Pyrii, undè, momentò extitit & Gubernatoris & Arcis, & Præſidii & Inſulæ exitium.

Miſsilis, ardenti confertáque fomite peſtis,
Quam, Vulcane favens excutis ære cavo,
Et ſors plena Deo rexit, per inane, volantem,
Dolia ſulphureo pulvere fœta, petit.
Diſrumpitque Viros & Propugnacula & Arcem,
Pabula quæ flammis, una fuere cinis.
Qualia templa ruunt ſubito disjecta fragore,
Dum rapidi velox fulminis ira furit.
Nec ſecus eructans quondam Veſuvius ignes;
Oppida præcipiti turbine rapta vorat.

Inſula jam pridem fatis devota ſiniſtris,
Quam dederat Batavo ſors inimica jugo!
Gens exlex, averſa Deo, peſtiſque Sacrorum,
Inficit Infernâ, quæ, loca cuncta lue;
A toties ſpretis ultricia fulmina Divis,
Adverſum tandem ſéque, ſuóſque, ciet.
Hócce erat ambuſtis miſeram te navibus olim
Et tamen incolumem non potuiſſe capi;
Ut miſeranda dares tremefacto incendia ponto,
Et velut è cœlo Victima tacta ruas?
Victima, Franciadæ pridem damnata Tonanti,
Cui, pœnâ pendis jam graviore, moras.
Auſpice te, certus ſequitur, Rex Magne, triumphus
Ut tua Caſtra ſolo, ſic tua Roſtra ſalo.
Quid Francæ poſſent, LODOICO *vindice, puppes,*
Senſit Arabs, Mauri transfuga cultor agri.
Mens operum, quidcunque jubet Rex Numine plenus
Exequeris, Regis tu, SENELÆE, *Manus.*
Obſequitur tantis ſolers induſtria fatis,
Felices pelago docta parare trabes.

Non multos ante menſes Claſſis Batavica ad Tabaccum incenſa fuerat ab eodem Eſtræo, ſed Inſula fruſtrà tentata.

Compreſſi, & pacem rogare coacti Piratæ Libyæ.

Te ſimul ac Afer ponti videt eſſe Miniſtrum,
Et didicit leges & juga noſtra pati.
Hoſtica ſic perdis, curis fatalibus, Abſens,
Roſtra, vel ignivomæ das laceranda neci.
Illa, tibi nigro ſignanda, Panorme, lapillo,
Vocibus horriſonis, hoc canet, atra dies;
Hanc, reri poteras tibi diluxiſſe ſupremam,
Téque feris prædam fata dediſſe rogis.
Cùm te fulmineis VIVONIUS *ictibus uſſit,*
Cùm pyra portus erat, roſtráque buſta forent.
Herculeas vltra volitans id fama Columnas
Dum ſe, quò Viridis *panditur* Ora, *tulit.*

Le Cap. Vert.

Inſula Goræa ditionis Batavicæ capta & vaſtata ab Eſtræo.

Teſtis eris, vaſtis labefacta Goræa ruinis,
Quàm procul exultans Francica pinus eat.
Nil te longinquo juvit latuiſſe receſſu,
Eſtreus extremos ſcit penetrare ſinus.

Batavi ex improviſo Caænam occupauerant, Eſtræus illā recepit optimè munitam à Batavis, & inſtructam tormentis bellicis. L.

Franciadis erepta dolo Caæna, reverſa eſt
In Regis, valido Marte recepta, fidem.
Perdita quæ fuerat quovis munimine nuda,
Vallo, Tormentis, Aggere firma redit.

Læva

Læva Sicambrorum ſic nobis cura laborat,
Hectoridæ vertunt ſic ſua damna lucro.
Jam, non viſa ſuo dominantia Lilia ponto
Indus, Arabs, Sinæ, Japoniíque colunt.

Orientale Commerciũ ſtabilitum & promotum.

Vincimus ut causâ, validis ſic vincimus armis,
Fœdifragos agitant hinc metus inde pudor.
Adverſum Armoricos dum proræ ivere Sicambræ,
Quid? niſi ridendis intumuere minis?
Errarunt, actæ fatis, maria omnia circum,
Cœptorum merces, dedecus, una fuit.
Quàm dulce armandis hauſiſſe æraria proris,
Nilque tamen reduces quàm retuliſſe probrum!

Conatus vani Batavorum ad Caloneſum *Belle-Iſle* & ad Martinicam in America.

Alite nos contrà meliori verrimus æquor,
Queis vectigales Ventus & Unda favent.
Vertunt ora rates Auguſtæ ad mœnia, noſtro
Auguſtam cogunt ſubdere colla jugo.

Auguſta occupata â ſolis Claſſiariis.

Nec metuunt alacres proris exſcendere Franci,
Dum, quaſi de ſaxi vertice, claſſe tonant.
Firma, trabes Gallis jam propugnacula fiunt,
Inſtabilis certum dat quibus unda ſolum:

Jámque, ſit extemplò, fuerat qui navita, miles,
Franciades ambas jmplet obítque vices.
Dic, Meſſana potens, toties erepta perîclis,
Agnus uti rabidi tractus ab ore lupi;
Strenuus ut preſſas fauces Valbella Pelori
Solvit, & obſeſſas ut patefecit aquas!
Vindictæ ſtimulis, odio veteríque frementum
Luſit ut excubias, arte manúque potens.
Dona laboratæ Cereris quàm largus egenti,
Præſidia & rebus quàm tulit apta tuis!
Grata recordanti quoties occurſat imago,
(Præteritos caſus nam meminiſſe juvat.)
Et famis infandæ, cæcique furoris Iberûm, &
Quàm malus urgeret tum tua corda metus:
Num tua pertentant prædulcia gaudia pectus!
Num clamas: pubes Gallica vivat ïo!
Vivat ïo Princeps! cujus præſentia ſenſi
Numina, longinquis nil remorata locis:
Conſuluere meæ nam Numina certa ſaluti,
Omni cùm penitus deficiebar ope.

Meſſana ſæpius & diræ fami exempta, & ſoluta ab obſidione maritima.

Vos, tellure ſuper Batavos ſuccumbere MAGNUS
Cogit, & in gemino marmore, fræna pati.
Jam toties terrâ domiti, & decedere ponto
Diſcite, quæ vobis ſpes erat una, perit.
Pœnarum ſatis eſt, veniam, ſi poſcitis, offert,
Parcere ſubjectis nam LODOICUS *amat.*
Mens ni læva manet, ſupremum avertite caſum,
Solvere vos tantis pax potis una malis.
Donec erunt hoſtes, erit illi & cauſa triumphi,
Hic, aliâ ſiſti non ratione poteſt.
Fœdera nequicquam Gallis obſtantia, ſani,
Rumpite, quæ veſtras depopulantur opes.
Vos Socii expilant, prædonum & more vagantur,
Vix vobis noceat vis inimica magis.
Non vos bella decent, merci gens nata parandæ,
Num victos pacis dona rogare pudet?
Ecce, triumphatis domitor prætendit olivam,
Heu mala, quot pacis ſtulta repulſa parit!
Siccine vos lactant imbellia fœdera Regum?
Hoc bellum cautos arguit eſſe parum.

Vos, ſatis eventus docuere, quòd inclyta REGI
Laurorum ſemper prælia meſſis erunt.
Noſter ut Auguſtus reſeravit limina Jani,
Palmis quiſque ſuis menſis onuſtus ijt.

San-Giſle-nium captum eo menſe, ſicut & inſula Tabaccum.

Haud melior poterat nobis rediiſſe December,
Vix ſolis curſus lætior ullus erit.
Si licet ex lapſo tempus penſare futurum,
Quanta Nove Hectoridis Anne trophæa feres!
Hoſtibus at miſeris quæ non præſagia cantas?
Queis, tam ferali fine timendus, abis!
Quæ datis, ô Batavi, ſibi ſumunt omina Galli,
Tale, vel invito munus ab hoſte placet.
Augurii nec vana fides, nec tarda moratur,
En, hoſtem latè fata ſiniſtra premunt.
Viſere Rex victor ſimulat confinia Rheni,
Terror agit Rhenum, túque, Moſella, tremis.
Palluit adventu Germania, palluit ipſa
Non bene Danubio tuta Vienna ſuo.

Strasbourg. Unde Legati ad Regem miſſi veniam deprecaturi.

Argentina ſuæ veniam ſibi conſcia culpæ,
(Credere ſic dignum eſt,) corde dolente, rogat.

Alget

II

Alget adhuc, putris necdum ſe glebâ reſolvit,
Feſſus in hybernis hoſtice miles agis.
Circumeunt acies hoſtilia mœnia noſtra,
Percellúntque gravi Belgica caſtra metu.
Fallimur, horrificis Treverim qui terruit alis
Téque dehinc ſtrinxit, Flandria tota, Pavor;
Fulgureo ſeſe velociùs intulit ictu,
Huc, ubi ſe Liſæ jungere Scaldis amat.
Et mox, Ganda, tuas quatiunt immania turres
Tela, tui ſubitò muri animíque cadunt.

Gandavum olim *Ganda*, Caroli v. Patria, in quem rebellavit; Gandavi confluunt Scaldis, Liſa, Livia, &c.

Ganda, impune ſuos audax contemnere reges,
Vix Caroli leges docta ſubire ſui.
Ganda ſitu, populis, non uno flumine, & Arce
Pelidæ priſco quæ nova Troja foret.
Ganda repente cadit! (credent ea fata nepotes?)
Vix quatuor REGI *reſtitit illa dies.*
Hoc ſolamen habe, qui te alto à culmine vertit
Et melior Carolo, major & Æacide eſt.

Hoc tamen infelix miſeram ſolabere mortem, Æneę MAGNI dextrâ cadis. *Æneid. Lib. x.*

Deinde eadem ferri grando diverberat Ipram,
Quam video poſitis ſuccubuiſſe minis.

Néve foret dubium Flandris, quin uſquè ſecundet
Dîus, Francorum Martia cœpta favor:
Ipra perit, Batavis periit quâ ſorte Tabaccum,
Funus utrique Bolis deſuper acta tulit.
Et ſimul, hoſtiles iterum circumvolat arces
Horror, idem fatum dum ſibi quæque timet.
Non aliter flavas ſegetes depaſcitur ignis,
Si quandoque rapax, per ſata læta, volat;
Nullus obex prohibet ſinuoſa volumina flammæ,
Illa moræ impatiens, quà data præda, furit.
Vos iterum, Batavi, viſit Bellona, quietis
En iterum vobis non licet eſſe domi.
Proxima jam metuit Zelandia, proximus ardet
Hulſti agger, reſides jam Sluſa mittit aquas.
Amſtelodamææ referunt ſe tempora cladis,
A' pravo demum calle referte pedem:
Et genibus REGI *pacem exorate minores,*
Supplicibus pacem protinus ille dabit.
Hoſtis inexperti ſortem miſeratus iniquam,
Fortunæque potens, victor & ipſe ſui eſt.

L'Ecluſe. quæ, capto Gandavo, agrum inundavit ſuum, ſicut & Antuerpia.

Ut vos exueret centum Rex *arcibus olim,*
Illi bina ſatis Luna ſupérque fuit.
Exiguos tumidi campos ditione tenetis,
Veſtra ſed in latis regna fuere fretis.
Ut docuit Lodoix *terrâ poſſe omnia Gallos,*
Jam docet & Gallos omnia poſſe mari.

Lugduni III. Kalendas Apriles. M.DC.LXXVIII.

Addictiſſimus & Devinctiſſimus
Gasp. Josephvs Charonier.
Societ. Jesu.

0792

E678
C483c

E678
C483g

H T